



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

14. Redemptoris & N. J. C. &c. Confirmatio Quorundam Capitulorum cum
deputatione Vicarii Generalis, & Definitorum, aliisque ordinationibus pro
Ordine Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

nationibus Apostolicis, præsertim illis, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existentibus reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quotumcumque Ordinum, & Congregationum, seu Institutum Regularium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indivisa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissam derogamus, caterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentibus nostræ literæ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium transcriptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Martii MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo septingentesimo tertio, Indictione undecima, die vero 12. mensis Martii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno tertio, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris, in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis Urbis, per me Thomam de Unionibus Sanctissimi D.N. Papæ Curf. Pro D. Mag. Curf. Thomas Orlandus.

XIV.

CONFIRMATIO

Quorundam Capitulorum cum deputatione Vicarii Generalis, & Definitorum, aliisque Ordinationibus pro Ordine Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, vices licet immeriti, gerentes in terris, ea, quæ inter Christiani delictos quotcumque, & præsertim illos, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati sunt, religiosæ tranquillitatis stabilendæ studio providè, prudenterque disposita, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolabilia permaneant Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id à Nobis petitur, libenter corroboramus, & alias felici ipsorum Religiosorum statui, regimini, & quieti providemus, sicut conspiciamus in Domino salubriter expedire.

S. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Ruiz Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Clemens à Jesu Fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanæ ejusdem Ordinis Procuratores Generales, quod occasione variarum controversiarum, quæ dicti Ordinis statum, & religiosam quietem diu perturbarunt, ad majorem Dei gloriam, ac pro felici, prosperoque ipsius Ordinis regimine, & gubernio condita fuerunt nonnulla Capitula, per quæ videlicet ordinatur. Primo; ut Fratres omnium Provinciarum dicti Ordinis observare promittant illius Constitutiones, & additiones à fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro approbatas, in iis tamen, quæ infra scriptis non advertantur; & casu, quo in proximè futuro Capitulo Generali ejusdem Ordinis aliqui pro felici ipsius Ordinis gubernio statuendum sit, sive scilicet ampliando, sive declarando dictas Constitutiones, sive etiam aliquam de novo condendo, possit id fieri accedente consensu majoris, & sanioris partis Vocantium; Ita tamen, ut quod inibi statutum fuerit, nullam vim, nec efficaciam habeat, nisi prius ab hac S. Sede confirmatum fuerit. II. Electio Ministri Generalis dicti Ordinis nunquam à solis quatuor antiquis Provinciis Galliæ, sed ab omnibus Provinciis ipsius Ordinis fiat, sicut per primitivas, & fundamentales ejusdem Ordinis leges in prima, & nona rec. mem. Innocentii III., ac decima Clementis IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum literis sub plumbo expeditis, & prædictis ab Alexandro Prædecessore approbatis Constitutionibus contentas disponitur, necnon anno MDCLXXXVII. à dictâ Sede declaratum fuit. Porro quicumque dicti Ordinis Religiosus cujuslibet Nationis in Ministerium Generalem ipsius Ordinis eligi possit, omnesque Religiosi vocem activam, & passivam in electione hujusmodi habentes, vel habituri, ea, quæ in Constitutionibus, earumque additionibus prædictis ordinantur, & additionibus observanda sunt. III. Idem observetur in Capitulis Generalibus correctivis, in quibus ea omnia, quæ in dictis Constitutionibus, & additionibus ordinantur, observanda sunt. IV. Ministris, seu Superioribus localibus quatuor antiquarum Provinciarum Franciæ, Campaniæ, Normandiæ, & Picardiæ dicti Ordinis vox activa in Capitulis Generalibus minime competat, prout nec competit Ministris, seu Superioribus localibus hujusmodi aliarum Provinciarum ejusdem Ordinis. V. Omnes Superiores locales sint triennales, & eorum electiones fiant secundum dictas Constitutiones. VI. Dictum proximè futurum Capitulum Generale, quod erit electivum simul, & correctivum, Dominicâ quartâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ anni proximè venturi MDCCIV. in Conventu Cervi Frigidii nuncupato dicti Ordinis celebretur, ibique agatur, num de cætero omnia Capitula Generalia electiva dicti Ordinis in eodem Conventu habenda sint; ejusmodi verò deliberatio per suffragia majoris partis Vocantium fieri, illiusque confirmatio à Sede prædictâ obtineri debeat: Præterea in eodem proximè futuro Capitulo Generali locus pro Capitulis Generalibus correctivis de sexennio in sexennium de cætero celebrandis determinari possit, hujusque determinationis confirmatio à dictâ Sede pariter obtineri debeat. VII. Dicta Capitula Generalia correctiva de sexennio in sexennium, quemadmodum per Constitutiones, & earum additiones prædictas declaratur, celebrentur, & in illis Procurator Generalis (qui in hac Almâ Urbe residere tenebitur) ac Definitorum Generales dicti Ordinis ad sexennium tantum eligantur, eaque omnia, quæ in

Fratres observare promittant ita, & additiones ab Alexandro VII. approbatas.

Minister Generalis Ordinis ab omnibus Provinciis eligatur, & quilibet Religiosus cujusvis Nationis ad id munus eligi possit.

Superioribus localibus quatuor Provinciarum Franciæ, Campaniæ, Normandiæ, & Picardiæ, atque etiam aliarum Provinciarum Ordinis vox activa in Capitulis generalibus non competat. Superiores locales sint triennales. Locus determinetur pro Capitulis Generalibus electivis, & correctivis.

Capitula Generalia correctiva de sexennio in sexennium celebrantur, & in eis Procurator Generalis, & Definitorum Ordinis tantum eligantur.

eisdem

Minister Generalis Ordinis sit perpetuus

Definitores Generales sint decem, & quomodo, & quibus ex Provinciis assumendi.

Procuratoris Generalis munus duret ad sexennium, & ex qua Natione assumi debeat.

Minister Generalis nominare, & deputare valeat duos Secretarios Generales, unum nempe ex Gallia, alium ex aliis Provinciis.

De Consilio S. Congregationis Episcoporum, & Regularium præfata Capitula confirmat.

eisdem Constitutionibus, & additionibus ordinantur, observentur. VIII. Minister Generalis dicti Ordinis sit perpetuus, prout memoratis Innocentii, & Clementis Prædecessorum literis, ac Constitutionibus convenit, & ab initio ejusdem Ordinis usque ad annum MDCLXXXV. quo quondam Petrus Mercier illius, dum vixit, Minister Generalis obiit, semper observatum fuit. IX. Sempet, & in perpetuum sint decem Definitores Generales Ordinis prædicti, nempe quinque pro novem Provinciis Gallie, & quinque pro Provinciis Hispanie, Italiae, & Lusitanie, unus scilicet ex Castellæ, alter ex Bethicæ, alius ex Aragonie, alius ex Italiae, & alius demum ex Lusitanie Provinciis, pro ipsis respectivè Provinciis; Quod si aliquem ex dictis Definitoribus ab humanis decedere, aut qualibet aliâ de causâ deficere contigerit, Minister Generalis dicti Ordinis pro tempore existens intra tres menses à notitiâ illius obitus, vel amotionis, aut defectus numerandos, alium Definitorem Generalem ex Provinciâ illius, qui defunctus, vel amotus fuerit, aut defecerit, propriâ auctoritate nominet; Si verò cum intra dictos tres menses non nominaverit, tunc Minister Provincialis Provincie hujusmodi cum illius Definitoribus Provincialibus illum ex ipsâ Provinciâ nominet, & eligat pro eadem Provinciâ. X. Procurator Generalis totius Ordinis prædicti in Capitulo Generali correctivo ad sexennium tantum alternatim eligatur, ita scilicet pro uno sexennio sit ex Hispania, Italiae, aut Lusitania, pro alio verò sexennio ex Gallie Provinciis prædictis; Is autem in Urbe prædicta pro gerendis negotiis totius Religionis, residere debeat, ibique expensis omnium Provincialium dicti Ordinis sustentetur juxta dictas Constitutiones: Cæterum primus Procurator Generalis hujusmodi sit ex dictis Hispanie, Italiae, aut Lusitanie Provinciis, sequenti verò sexennio sit ex prædictis Provinciis Gallie. XI. Serventur dicti Ordinis Constitutiones libro I. cap. 37. §. 12. pag. 205. XII. Ministri Generales dicti Ordinis pro tempore futuri habeant facultatem liberè, & per se solos nominandi duos Secretarios Generales, qui eis assidue inserviant, & assistant, quorum unus sit ex dictis Gallie, alter verò ex Hispanie, Italiae, aut Lusitanie Provinciis, quique juxta Constitutiones, & additiones prædictas graduati de justitiâ esse debeant, & ambo vocem in prædictis Capitulis Generalibus electivis habeant, ac expensis ipsorum Ministrorum Generalium sustententur. XIII. Quoad Graduatios, Magistros, Præfatos, & Prædicatores Generales Ordinis præfati pro dictis Provinciis Gallie per memoratum proximè futurum Capitulum generale provideatur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Franciscus, & Clemens Procuratores Generales Capitula hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, ac aliâs opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infra, indulgeri summopere desiderent. Nos ipsorum Francisci, & Clementis Procuratorum Generalium votis hæc in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorum, & infra nominatorum Fratrum expressè professorum Ordinis prædicti singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorundem Francisci, & Clementis Procuratorum Generalium nomine Nobis super hoc humiliter porrec-

tis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super hoc negotio, à Nobis specialiter deputatæ consilio, præarrata Capitula cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 3. Cæterum felici, prosperoque dicti Ordinis regimini, & gubernio salubriter providere cupientes, ac de infrascriptorum ejusdem Ordinis professorum fide, prudentiâ, integritate, charitate, vigilantia, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi, dilectos filios Gregorium de la Forge in Sacra Theologia Magistrum in Vicarium Generalem, ac Josephum du Bois Conventus de Cala pro antiquis Provinciis Francie, & Normandiæ: Joannem Ronbaud Conventus de Catalauno pro Provinciis Campanie, & Picardiæ: Ignatium Vigneaux Conventus de Medalco dicti Ordinis respectivè Ministros pro Provinciis Lingue Occitanie, & Provincie ejusdem Ordinis: & Michaellem Trossier Exprovincialem pro Provinciis Gallie, & Provincie Congregationis mitigatæ, seu reformatæ nuncupatæ prædicti Ordinis: necnon dictum Glementem à Jesu Procuratorem Generalem, qui Conventus Sancti Dionysii de dictâ Urbe prædictæ Congregationis Gallicanæ Ministrum existit, pro Provinciis Provincie, & Italiae dictæ Congregationis Gallicanæ, & Vincentium Tavarez itidem in eadem Sacra Theologia Magistrum Fratres expressè professos ejusdem Ordinis pro prædictâ Lusitanie Provinciâ in Definitores Generales Ordinis hujusmodi respectivè, qui nunc deficiunt, usque ad proximè futurum ipsius Ordinis Capitulum generale, quod dictâ Dominicâ quartâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ celebrandum erit, cum omnibus, & singulis prærogativis, præminentibus, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indulgentiis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis eadem auctoritate harum serie constituimus, & deputamus. Alios autem quatuor Definitores cæterarum Hispanie, & Italiae provincialium prædictarum nunc existentes in suis muneribus continuare, hosque omnes decem Definitores Generales vocem in dicto proximè futuro Capitulo generali habere, in futurum verò per ipsum Capitulum generale, quod eos hac prima vice tantum confirmare valeat, de illis provideri debere, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & ordinamus. Præterea eidem Gregorio eadem auctoritate concedimus, & indulgemus, ut dictum Capitulum generale convocare, ac in eo præsidere, ibique etiam in Ministrum Generalem dicti Ordinis eligi liberè, licitè, & validè possit, & valeat, ipsumque Gregorium adversus quodcumque impedimentum ratione prædictarum controversiarum, seu illarum occasione quomodolibet contractum ad officium Ministri Generalis hujusmodi obtinendum, & exercendum, auctoritate, & tenore prædictis opportunè habitamus, habilemque, & capacem facimus, & declaramus; demum omnes actus tempore dictarum controversiarum, tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quam in Definitoriis, ac in particularibus, & privatis tractatibus, seu Instrumentis, aut aliâs quomodolibet factos, & gestos, necnon omnes, & singulas institutiones Superiorum, collocationes Fratrum, & professiones in dicto Ordine hæcenus factas, & emissas, adversus quoscumque juris, & facti defectus, qui propter controversias hujusmodi desuper quovis modo intervenerunt, seu intervenisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi valerent, dictâ auctoritate eorundem tenore præsentium revalidamus, ipsosque defectus supplemus, tollimus, sanamus, & abolemus.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedi-

Constituit, & deputat Ministros, qui Ordinem usque ad proximum Capitulum generale gubernent.

Vicarium generalem habitat, ut in Ministrum Generalem eligi possit.

Officiales deputatos ab

omnibus re-
cognosci, il-
litique debi-
tam obedi-
entiam præfari
mandat.

Clausula fu-
blata cum
decreto irri-
tanti.

Derogat
contrariis
quibuscum-
que.

obedientia, ac sub indignationis nostræ, aliisque
arbitrio nostro imponendis penis omnibus, & sin-
gulis Ordinibus, & Congregationum hujusmodi Su-
perioribus, Fratribus, & personis, cæterisque,
ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut supra-
scriptos Fratres ad officia eis respectivè per præfentes
demandata, illorumque liberum exercitium juxta
earumdem tenorem præsentium recipiant, & ad-
mittant, illosque recognoscant, & illis in omni-
bus, quæ ad eadem officia pertinent, pareant,
& obediant, faveantque, & assistant respectivè;
Ac decernentes pariter ipsas præfentes literas
semper firmas, validas, & efficaces existere,
& fore, suosque plenarios, & integros effec-
tus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spec-
tat, & pro tempore quancumque spectabit
in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari,
& ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sic-
que in præmissis per quoscumque Judices ordi-
narios, & delegatos, etiam Causarum Palatii
Apostolici Auditores judicari, & definiti, debere,
ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter con-
tigerit attentari. Non obstant. præmissis, ac
Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,
necnon dicti Ordinibus, illiusque Congregationum,
& Provinciarum præfatarum, aliisque quibusvis,
etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel
quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consue-
tudinibus; privilegiis quoque, indultis, & lite-
ris Apostolicis in contrarium præmissorum quo-
modolibet concessis, confirmatis, & innovatis.
Quibus omnibus, & singulis, & illorum tenores
præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis,
& de verbo ad verbum insertis habentes, illis
alias in suo robore permanens, ad præmissorum
effectum hac vice dumtaxat specialiter, & ex-
pressè derogamus, cæterisque contrariis quibus-
cumque. Volumus autem, ut earumdem præsen-
tium literarum transumptis, seu exemplis,
etiam impressis, manu alicujus Notarii publici
subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ di-
gnitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides
in judicio, & extra habeatur, quæ præsen-
tibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ,
vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Ma-
riam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI.
Augusti MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno
Tercio.

Loco + Annuli Piscatoris.

F. Oliverius.

ANNO
1704.
XV.

C O N C E S S I O

Indulgentiarum pro Christianis Italicæ, & In-
sularum adjacentium.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ZElum, ac Religionem Christianissimam univer-
sæ Italiae, necnon Insularum illi adjacentium,
eo potissimum recurrente tempore, quo illorum
plurimi vocem Domini, quæ commota est, &
contemnit tera, non semel audiverunt, ad gra-
tias Divinæ bonitati pro receptis beneficiis agen-
das, ejusque operam in aliis gravissimis Christianæ
Reipublicæ, ac Catholicæ Religionis præsentibus
necessitatibus ferventius implorandam, spiritua-
lium gratiarum muneribus incitare cupientes: Ve-
nerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis,
& Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati, &
Ordinariis Civitatum, & Diocesium, Oppido-
rum, Terrarum, & locorum universæ Italiae,
& Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eo-

Bular. Rom. Continuât. Pars II.

rum Vicariis in spiritualibus Generalibus a sum le-
rie committimus, & mandamus, ut statim atque ip-
sorum præsentium literarum transumpta, seu exem-
pla, etiam impressa, ad illos pervenirent, cam-
panas quotidie per quindecim dies continuos
ab eis præfatiendos spatio octavarum partis horæ
in suarum respectivè Civitatum, & Diocesium,
Oppidorum, Terrarum, & locorum, tam Secu-
larium, quam Regularium utriusque sexus Ec-
clesiis pulsari mandent, ac Ecclesias, ut infra, vi-
sitandas designent, seu designari curent; Nos
enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christi-
fidelibus, qui durante sono campanarum hujusmo-
di quinquies orationem Dominicam, & totidem
vicibus salutationem Angelicam in honorem quin-
que vulnerum Domini Nostri Jesu Christi flexis
genibus, seu aliter, prout poterunt, devotè reci-
taverint, ac Divinam Clementiam, ut supra,
exoraverint, quocumque die id egerint, quinque
annos, & totidem quadragenas de injunctis eis,
seu aliis per eos debitis penitentis misericorditer
in Domino relaxamus; Illis verbò, qui præmissa
per dictos quindecim dies continuos præfiterint,
& in uno ex illis verè penitentes, & confessi, ac
sacra communione refecti, Ecclesias per memo-
ratos Ordinarios, & Prælatos, seu eorum Vi-
carios respectivè, sive illorum jussu designandas
devotè visitaverint, ibique, sicut præmittitur,
pias ad Deum preces effuderint, plenariam om-
nium peccatorum suorum Indulgentiam, & re-
missionem concedimus, & elargimur.

Cæterum Regularibus utriusque sexus in per-
petuâ clausurâ viventibus, necnon aliis Christianis-
delibus præfatis in carcere, vel corporis infirmitate,
aliove quolibet impedimento detentis, qui Eccle-
sias, ut præmittitur, designandas, visitare ne-
quiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius
ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis,
in alia pietatis opera commutare, vel in aliud
proximum tempus differre, eaque injungere possit,
quæ ipsi penitentes adimplere poterunt, conce-
dimus similiter, & indulgemus. Volumus autem,
ut earumdem præsentium literarum transumptis,
seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus
Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ
in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, ea-
dem prorsus fides in judicio, & extra illud ha-
beatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si fo-
rent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud
Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v.
Januarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.
F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo
septingentesimo quarto, die 5. Januarii, Indic-
tione 12. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris,
& D. N. D. Clementis Divina Providentia Pape
XI. anno ejus quarto, supradictæ literæ Apostolicæ
affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS.
Apostolorum Petri, & Pauli, Cancellariæ Aposto-
licæ, in Monte Citorio, Actæ Campi Floræ, ac
aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nico-
laum Vasellum Apost. Curs.

Sebastianus Vasellus Pro Mag. Curs.

D A M N A T I O

Et prohibitio Libelli typis editi sub titulo: *Veritable
Tradition de l'Eglise sur la predestination & la gra-
ce &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de
la Maison & Societé de Navarre. A Liege MDCCII.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit
libellus quidam, cui titulus: *Veritable Traditio-*

XVI.